

22
17748.
Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
A N
S V B L O C A R I P O S S I N T
O P E R A E

Q V A M

P 217
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
DIE XXIII MART. ANNO C I C I C C L X X I V .

D E F E N D E T

A B R A H A M V S B E Y E R

N I V I M O N T A N .

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMII.





A N
OPERAE SVBLOCARI
POSSINT.



§. I.

E quidem comparare solent locationem conductio-
nem cum emtione venditione, quod et CAIVS
L. 2. *π. locat. conduct. adfirmat*, aiens: *locatio et*
conductio proxima est emtioni et venditioni; *iisdem*
que iuris regulis confitit; tamen hoc non semper ita verum est,
vt ab emtionis regulis ad locationis iura consecutio fieri recte
queat. Nam quae translatio rei venditae sit, alienandi ani-
mo fit, hinc in emtione venditione adeo iustus titulus ad
transferendum dominium habilis, qui titulus in locatione
nunquam existit. Haec ergo regula, quod proxima sit em-
tioni conductio, in iis duntaxat procedit, quae de consensu
de certa re et certo iustoque pretio definiuit lex.

A 2

§. II.



§. II.

Obiectum locationis vel sunt *res*, vel *operae*, nisi tertium obiectum quaeramus in *opere perficiendo*. Locatio rerum conductori concedit vsum rei locatae innoxium. Fungibilium autem rerum, quae vnu absumuntur nulla est locatio. Cum enim ea sit conductoris obligatio, ut finita conductione saluam rem restituat locatori, haec obligatio nulla esset sua natura in rebus fungilibus, quae consumtae vnu restitui non possent. Sed in locatione parum interest, an propria sit res, quae locatur, an aliena, quippe hic non agitur de transferendo rei dominio, sed saltim de vnu rei concedendo. Hinc apud PAVLVUM in L. 24. §. 1. ff. Locat. cond. colonus locat fundum conductum. Hanc a conductori factam locationem dicunt *Sublocationem*.

§. III.

Sublocatio et subconductio rerum non improbatatur legibus. Probat LABEO in L. 60. pr. π. Locat. Ait: *Cum in plures annos domus locata est: praefare locator debet, ut non solum habitare conductor ex Kalendis illis cuiusque anni, sed etiam locare habitatori, si velit, suo tempore possit.* Sublocat ergo aedium conductor habitatori. Neque prohibere potest locator conductori, quo minus sublocet. At sicuti pacta legem dant contractui, ita et videndum est, an pacto locationi adiecio improbata sit sublocatio, ita ut vel plane non fiat, nisi consentiente locatore. Quod si itaque contractum sit in hunc modum, sublocatio vel fieri nequit, vel saltem non, nisi consentiente locatore.

§. IV.

Alterum obiectum locationis sunt *operae praestandae*. Validam vero operarum conductionem esse, probat Rescriptum DIOCLETIANI et MAXIMIANI ad Papinianum quen-



quendam datum in L. 22. C. de locat. et conduct. Si hi, contra quos supplicas, facta locatione certi temporis, suas tibi locaverit operas, quatenus bona fides patitur, causa cognita competens iudex conuentionem seruari iubebit. Non vero omnes, sed honestas operas atque quae tantum illiberales sunt, locari posse satis tritum est, quare romani in agrimensorum operis omnem reprobant locationem, quae causa fuit actionis contra mensorem a Praetore datae. Quis enim operas mercede conduci posse credit, quae propter liberalia studia et artes haud aestimari, sed solo aliquo honorario vel aliquo tantum modo compensari possent.

§. V.

Sicuti vero operaे honestae atque illiberales locari possunt; ita quaestio enata est, an et conductae illae operaе sublocari queant. Communiter adfirmant atque saltem limitant in eum modum, ut est apud BERGERVM in Oecon. Iur. L. III. Tit. V. Thes. XXII. not. 4. modo locatoris non interfit, ut puta, cum seruus a conductore humano sublocetur saeuo. Utque haec suam sententiam probent, ad legum autoritatem configiunt, atque prouocant ad argumentum ductum ex L. 7. π. locat. et L. 6. C. de locat. Sed sicuti in omni causarum decisione periculosissimum est ex argumen-
to legis decidere, nisi prius rationes exactissime cognitae omnesque circumpositae causae accuratissime perpenfae sunt, nisi velimus a baculo ad angulum, ut aiunt, et ut saepè fieri solet, concludere, imo nisi velimus a simili ad idem argumentum ducere immemores formulae philosophorum: omne simile in se esse dissimile, atque summa cum cautione haec ex argumentis legum decidendi ratio adhibenda ita examinabimus, an ex allegatis iuris textibus tuto probati opeti possit.

A 3

§. VI.



§. VI.

Ait P A U L V S in L. 7. π. locati: Si tibi alienam insulam locauero quinquaginta, tuque eandem sexaginta Titio locaueris, et Titius a domino prohibitus fuerit habitare: agentem te ex conductoro (aduersus dominum primum locatorem) sexaginta consequi debere placet: quia ipse Titio tenearis in sexaginta. Ex ipsa lege statim appetat, agi tantum de actione illa; qua, quod in fruendare locata impeditur a locatore conductor, ex conductoro aduersus locatorem agere debeat, exemplo sumto ex sublocatione insulae seu domus liberi circuitus. Et putat Paulus in tantum locatorem condemnandum, quantum conductor iam sublocator subconductor teneatur. Et quo probat ICtus, quanti, id quod intereat, taxandum sit, ex mercede explicationem capiendo. Conductor locatori mercedis nomine quinquaginta debebat, subconductor ex mercede sexagintorum tenebatur. Intererat ergo conductoris, ut fruatur subconductor insula, quippe a quo mercedis nomine sexaginta accipiebat. Condemnandus ergo locator primus in sexaginta, quibus iam conductori carendum, cum subconductor habitare prohiberetur. Tantum enim conductori intereat. Sed unde argumentum ad sublocationem operarum capiamus. Forsitan ex eo, quod cum res sublocare liceat, ergo et operas? Quod argumentum maxime fallit, cum a nexu rei ad personae obligationem argumentum vix procedat.

§. VII.

Ita comparata est altera probatio ex argumento Rescripti Diui ALEXANDRI A in L. 6. C. de locato conductoro. Rescripsérat videlicet Imperator cuidam Victorino: Nemo prohibetur rem, quam conduxit, fruendam alii locare, si nihil aliud conuenit. Eadem est argumenti vis. Nihil hic de sublocatione operarum, bene vero de rei sublocatione. In locatione rei, non cum ipsa re contrahitur nexus, sed tantum cum

cum rei domino, qui certum rei locatae usum in alterum confert, neque ad aliquid tenetur, quam ad usum rei concedendum. In locatione operarum, conductor non tantum contrahit circa rem, sed ad faciendum semet ipsum simul obligat, ipseque locator fit obiectum obligationis in sua persona. Quae si accurate ponderantur, probatio communis opinionis ex huius legis argumento haud procedit, cum alia causa sit eius, qui patitur, ut alter sua refratur, et eius, qui alteri ad faciendum, in quo consistunt opera, tenetur.

§. VIII.

Neque satis idoneum erit argumentum ex seruis romanis ductum, quorum operas sublocari potuisse largius concedam. Sicut enim in hac sublocatione non personae obligatio est, cum seruus neque operarum conductor neque locator; ita ad liberarum personarum obligations nulla erit conclusio. Scimus enim, romanos seruos suos in classe rerum atque veteri iure, rerum mancipi connumerasse iuraque personarum iis negasse. Quodsi itaque dominus serui operas euidam locaret, dubium non est, quin conductor easdem sublocare potuerit; rei enim fructus, qui in praestatione operarum consistebant locasse videbatur, quod docet C A T I O N E S in L. 4. pr. 7. de Oper. serv. *Fructus hominis in operis consistit, et retro in fructu hominis operae sunt:* Sed quis ab operis serui ad ingenui liberarie hominis labores praestandos ducat argumentum? Et grauius dubium adhuc ex eo venit, quod non omnia facta, licet ad liberales artes haud pertinent, (*operae autem in factis consistunt*) quidem locari potuisse adserat P A V L U S in L. 5. §. 2. 7. de praefir. verb. quod habet quoque *Gerh. NOOD ad Pand. Tit locati.*

§. IX.

Quae cum ita sint, non omnino putem, veram esse sententiam communem. Largior posse sublocari operas ratione, si consentiat locator operarum. Nam ubi mihi operas

ras



ras suas locat, mihi sese obligatum vult, neque quidquam aliud ius, quam personale concedit, videlicet, vt operas ab eo exigere valeam, non vt alias easdem exigat. Quo ergo iure cogam locatorem operarum, vt easdem subconductorii praestet, cum quo non contraxit, si in sublocationem non consentit. Fac itaque Titium Caio operas locasse, Caium operas Sempronio sublocasse, vnde veniat vis obligandi. Si enim ipse Titius Sempronio sublocaret, non est sublocatio, sed remissa priori locatione noua locatio. Neque ex contractu conductarum operarum tanta vis venire poterit, vt extra consensum cog em operariuim, qui meae conuentioni stet, operasque, quas mihi debet, tertio cuidam, cui ego conductor promiseram, praestet. Deficit in eiusmodi sublocatione operarum omne fundamentum, cum liberi homines apud nos operas locent, in quos nobis dominium competere nequit. Conductio locatio solo consensu nititur, nec extra consensum extendenda, ergo nec extra personas consentientes. Hinc conductor non poterit in tertium quempiam suum ius transferre exigendi operas, nisi fiat locatore consentiente. Secus si per meum operarium in utilitatem tertii aliquid conficiendum curem, sed tunc non est operarum sublocatio, quippe subconductor non adest, nec subconductor enascitur obligatio. Et quam ponunt limitationem, quae ex romani iuris rationibus de seruitute deponita, quae ad liberos homines haud quadrat, docet, consensum in sublocatione necessarium esse ipsius operarii.



V
D
A8

ULB Halle
002 689 030

3



Farbkarte #13

B.I.G.



20
17748.
P. 214
Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
A N
**S V B L O C A R I P O S S I N T
O P E R A E**
Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.
S O C I O
I N A U D I T O R I O I V R I D I C O
DIE XXIII MART. ANNO C I C I O C C L X X I V .
D E F E N D E T
A B R A H A M V S B E Y E R
NIVIMONTAN.
L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I I .

